



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,
Explanatio Catechismi Catholici**

Macherentinus, Johannes

Colon., 1612

Pio Ac Studioso Catechistae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39397



PIO AC STUDIOSO
CATECHISTAE.

IN catechizandis rudibus opere nimirum & Deo gratissimo, & fidelibus per necessario, ut sumptuum iuxta ac laboris compendium haberes, ex bonis auctoribus selegimus, quos tuo instituto commodiores iudicauimus. Continenti oratione tradita interpositis questionibus dissecuimus, diffusa contraximus, sparsa in ordinem collegimus, quæ aut subtilitate aut obscuritate sua rudium captum superant attemperare conati sumus. Denique id laborauimus, ut viuificum panem paruulis fractum, & veluti infantibus præmansum, in promptu haberes.

Quandoquidem vero non auditores legis, sed factores iusti sunt apud Deum, doctrinæ praxeis Catechisticas attexuimus & quibus auditores erudiuntur; quemadmodum se quisque in fide, spe, & charitate exercere, sacramenta utiliter suscipere, iustitiæ munia studiose obire,

P R E F A T I O .

obire, ac demum doctrinam Christianam vniuersam in suam utilitatem conuertere possit.

Porro in vtriusque horum tractatione, Catechistæ, discretionem opus est; neque enim in priori omnia omnibus ingerenda, sed proponenda plura, paci-orauē, pro auditorū cuiusque ratione & capacitate. A simplicioribus & scitu necessarijs initiū sumēdū: hinc facilius erit ad perfectiora progressio. Sed & ipsam mysteriorū expositionē, si tibi facilius, tuisque auditoribus conuenientius visum fuerit, aliter secare, ac in plures seu pauciores quæstiūculas digerere poteris. Addere etiam ex Romano Pij V. auctoritate edito, & Canisij Catechismo (qui post Augustinum, Cyrillum aliosque Patres in hoc scribendi genere facile principes, sunt) præcium erit operæ, præsertim cum ætate scientiaque prouectiores rudioribus permistos nactus fueris.

In altera verò parte, quæ doctrinæ exercitiū complectitur, ad propositos in ea modos adstringendus est nemo. Neque ordine sicuti capita doctrinæ Christiænæ;

PRAEFATIO

tradenda singula, sed data occasione, nunc hæc, nunc illa praxis enarranda, serioque cohortandi, vt qui nullam id genus habent, vel illam quæ proponitur teneant, vel aliunde petitam meliorem, aut saltem sibi gratiorem certam tamen & definitam constanter obseruent: Vt enim stirpes crebro transplantatæ arescunt, sic qui in suis spiritualibus exercitamentis temere yagantur, nec certi quicquam sequuntur, raro proficiunt. Quod superest, si in hisce tradendis strenuus fueris atque indefessus, ipsi quidem primum tui Catechumeni igne inardescunt, quem Christus venit mittere in terram, tum ipsos ita demereberis, vt Apostolo iudice in omnibus suis bonis tibi communicare teneantur, denique veluti stella in firmamento inperpetuas æternitates clarissima luce collustraberis.

*Modus Ruditer tradendi doctrinam
Christianam.*

TEmpus aptum his rudimentis tradendis est, pomeridianum, ad quæ signo

PRAEFATIO

signo vno vel pluribus vocandi sunt omnes. Hoc ipso viri à potationibus, foeminae, iuuenes & iuuenulae ab otio, plurimorum malorum seminario auocabuntur: & variae libidinum ac scelerum species, quae festis diebus, in agris, hortis, vineis ac nemoribus ab ociosis committi solent, cauebuntur: nimij luxus cassabuntur, denique festi dies religiosius peragentur, sine quo vera pietas religioque stare nequit. Si à magistratu cuiusque loci impetrari possit, ne ante absolutam Catechismi lectionem publicae tabernae pateant: choreae praesertim templo vicinae eo tempore, prohibeantur, id Catechista procurare non negligat.

In capaci loco proximi sint Catechistae pueri & puellae, non intetmixti sed loco distincti. Adulti vt volent, & honestas requirit, circumstent.

Catechista Clericali habitu decenter, non tamen superpelleceo, nec stola indutus nec ex suggestu, aut loco, ex quo concio haberi solet, sed in alio
con

P R E F A T I O

conuenienti lectionē auspicaturus militiæ Christianæ signum hoc est Crucē efformet, manū à fronte ad umbelicū, & à sinistro latere ad dexteram ducendo. Signet deinde frontem, os ac pectus. Dum autē maiore minore uē Cruce se signat, dicat clara voce vernaculè (in nomine Patris) quē nulla interposita mora sequētur Auditores; deinde verò Catechistica pergēs dicat. (Et Filij), quæ verba itidem repetent clara voce Auditores. Ac ita deinceps preibit Catechista recitando symbolum fidei, orationē dominicam, salutationē angelicā, decem Dei præcepta, & quinq; Ecclesiæ. Hanc recitandi rationē nullo verbo mutato, semper Catechista seruabit. Qua oratione petent à Deo gratiā proficiendi. Inter orandum conuenit pueros ceterosq; auditores semper flectere genua, itaque uersus altare. Contra tamē Catechista stabit auersus quos docet aspiciens, partim ut qua sint modestia obseruet, partim ut num rectè an secus signum crucis efformet, videat. His peractis à peritioribus exigat rationem lectionis nouissimæ habitæ, vel ipsos inter se,

PRÆBATIO

se committendo, vt ex se mutō sciscitē-
 tur, vel ipse vnum aut alterum interro-
 gabit. Repetitione facta pergat in expli-
 catione suscepta, & per quæstiunculas
 (quas plures esse duabus aut ad summū
 tribus non conuenit) sua proponat, illis
 velut iter digito monstrans ad similes
 instituendas. V. G. Cur in oratione Do-
 minica dicatur. (Pater) aut (Pater no-
 ster) & non pater meus & sic de reliquis.
 Sit autem quæstionum breuis & aperta
 responsio. Exempli gratia. Deum ideo
 dici patrem, vt nos tanquam Filij exspe-
 ctemus ab eo hæritatem gloriæ, auxi-
 lium in necessitate, nutrimentum aliaq;
 similia, quæ solet, pius pater filijs elargi-
 ri: deinde vt nos illi, tanquam patri, præ-
 stemus honorem, amorem & obsequiū.
 Patrem nostrum dici, non meum, vt in-
 telligamus Deum paternam curam ge-
 rere omnium, æque pauperum atq; di-
 uitum, ignobilium ac nobilium, tum vt
 discamus omnes nos fratres esse, & velu-
 ti fratres, in domo Dei habitare vt alter
 alterum iuuet, alter alterius portet one-
 ra. Has & similes rationes breues tamen
 & lucidas, alijs atque alijs verbis maxi-
 mē

P R A E F A T I O,

ro per similitudines, & familiaria exempla, quibus mirum in modum capitur vulgus & docetur, explicabit. Paucis item, memoriae puerorum & rudium iuandae causa, in explicationis extremo, interrogationem repetet, & quid dictum sit, breuiter & dilucidè in memoriam reuocabit. Exiget deinde quae dixit ab vno aut altero: si quid bene dixerint, laudabit vt ad discendum etiam laude tenelli animi inflammentur. Eriget imbecilliores, suggerendo quae non intellexerunt, vt animentur, praemiolis quoque donare diligentiores expediret, quorum sumptus, alij profectus puerorum, ac publicae utilitatis cupidiores, subministrabunt. Vbi rationem eorum quae docuerit habuit, eodem prorsus modo, duas tresue quaestiones explicare, & ab auditoribus rationem exigere perget. In fine legendum aliquid ex capitibus Catechismi, & flexis genibus vernacula lingua claraque voce formula Confessionis generali **SALVE** Regina praecunte Catechista pronuntiandum.

Quando & quoties Catechistae visum fuerit, vel in ipso lectionis initio, vel in
fine

P R A E A T I O

sine audiat palam eos, qui Catechismum memoriter recitant, & diligentioribus coram omnibus interdum suam tribuant laudem aut præmium.

In magnis festiuitatibus cum fidei mysteria celebrat Ecclesia, vt incarnationis, Natiuitatis Circumcisionis, Apparitionis, Resurrectionis, Ascensionis, bonum erit modo iam dicto de mysterijs illis agere, In festis sanctorum, pietatis incitamento erunt egregia vitæ exempla sanctorum qui celebrantur. Huiusmodi etiam alias referri vtile ac iucundum fuerit: Dummodo ex probatis historijs promantur. Erit præcium operæ, si ante quam docere incipiat, aliquot pias cantiones præmittat. Similiter & post absolutam institutionem iterum cantetur, ac studiosè adlaboret diligens catechista, vt eum finem assequatur, qui in præfatiuncula Treuirensium cantionum propositus est, nimirum vt maiore iucunditate in scholis literas, & in templis doctrinam Christianam addiscat tenera iuuentus, & grandiores, cantilenas parum decentes dediscant.

P R A E